

Faint, mostly illegible text in the upper portion of the page, likely bleed-through from the reverse side.

AD

**VALEDICTIONEM
DISCIPULI NOSTRI,**

INFRA NOMINATI,

IN

AUDITORIO MAJORI,

CRAS HORA STATA,

HABENDAM,

**VENERANDOS DNN. INSPECTO-
RES, PATRONOS, FAUTORESQUE**

ET AMICOS STUDIOSE JUVENTUTIS,

PRÆSENTIBUS LITERIS

OFFICIOSE AMANTERQUE

INVITAT.

M. GEORGIUS ANDREAS Winbold, R.

CYGENAE,

Typis JOH. DAY, FRIDERICI



classroom



IN veterum picturis noctuam avem Minervæ appictam reperio. (a) Et nostra quoque tempora eandem amant conjunctionem: siquidem tum alias, tum e Typographorum officinis noctua prodit, Patronæ suæ addita: uti e. g. Elzeviriana Amstelodami florens pro insigni oleam præfert, ad eandemque Palladem cum Aegide & noctua, & hac admonitione: Ne extra oleas, Zezneriana Argentoratensium noctuam Minervæ adjunctam sistit, non dissimulata rerum fragilium effigie: ubi quidem Dea pone quadratum figit pedem, quod stabilitatis adumbrationem esse volunt: nam figuræ quadratæ inscripta verba habentur: Scientia immobilis. Frobeniana Basileensium ululam repræsentat in apice caducei sedentem. Quamquam Venetus Typographus is, qui in Minervæ ædibus habitavit, eam avem, nescio quo consilio, omisit, sola contentus Dea præsidis justificatione atque imagine. Nuper admodum ingeniosa Liptia nostra, cum sex filii iustitiæ honores supremos conferret, inter Augustalia Carolina in laudem Caroli VI. Gloriosissimi Imperatoris nostri (cui Deus vim cœlestem roburque invictum perpetuo inspiret!) Pietati, Prudentiæ, Constantiæ, Iustitiæ, Paci, etiam Fortitudinem habitu Minervæ indutam associavit, tenentis in capite galeam cum ulula. (b) Hujus inventi rationem si quis rectius secum perpendat, non temere cum Marone indignetur: Mopso Nisa (Minerva avi fordidæ) datur; (c) vel cum Horatio in absurdum delabatur, exclamans: Delphinum sylvis apponit, fluctibus aprum. (d) Quid enim, inquit, simile inter tam dissimiles? Deforme profecto & exosum animal noctua audit merito. Lucem fugit: lampades, unde in satietatem suam oleum hausit, stercoribus suis defædat; Rapinis gaudet, epotis columbarum ovis: Muribus venatu captis delectatur: Insidias etiam cæteris volucris tendens exultat, si qua iis retia poni sentit. Quando enim interdū se conspiciendam præbet, aves assunt, mirabilem formam, aut potius monstrum informe, visuræ: ipsa vero saltatrix & gesticulatrix varios atque ridiculos edens motus, corpore ac cervice in orbem contorta, aucupi & avibus occasionem dat; illi adponendum viscum, ad dispendios laqueos, ad illices gulæ cibos appendendos; his vero ad securitatem, ad capiendas illecebras, ad gustanda lenocinia cupiditatum, denique ad perniciem suam. (e) Et tamen sordet ipsius in deceptione sui simplicitas: cum enim aucupem ad fraudem acutum sibi oculos inungere videt viscoso pharmaco, similiter & sibi insana imitatrix ita facit, seque sua culpa irperditum. Præcipue odium in veteratū fovet adversus corvum, vespas, crabrones, sanguifugas & pediculos suos; & sicubi cum cæteris avibus in certamen venit, nullus ope, præter accipitris, tegitur. Jam ipsa habitatio ejus fordidissima est: incolit enim nemora horrida, cavernas obscuras, domos desolatas, convalles saxosas, loca perrosa, arbores excavatas, salices præsertim vetustate collabentes. Et ut manifestius ejus perversitas pateat, non a capite pullus ululinus excluditur, ut alii sit volarilibus, sed a cauda, ordine plane inverso: quippe capita ovorum pondere depressa subsidunt in imum nidi, posterioremque corporis partem matri fovendam applicant. (f) Postremo, si Poëtis credendum esset, mala origine suum genus noctua coinquinavit. Nam Nyctimene, Nyctei filia, in Lesbo Insula, quia patrium cubile temeraverit, conscia criminis sui, immutata dicitur in avem sui nominis noctuam, conspectumque fugere, & lucem, tenebris celatura pudoris læsi maculam. (g) Unde noctua cum malo debitore confertur, auram vitante publicam, ne creditoribus præda fiat; Aut cum iis hominibus, qui nimis magnum studium, multamque operam, in res obscuras atque difficiles conferunt, eandemque non necessarias: quæ cura a Philosopho Romano in vitiiis ponitur. (h) Cum ergo Patres sancti crucem gentemve exosam designabant, ululæ figuram exprellere, ex eoque mos inolevit alicubi, ut hodie quoque, five picta, five sculpta, ulula cruci insideat, quod Belgæ, ob Krukken gestelt, vocant. Etenim occurrens noctua agenti seria vulgo avis inauspicata habebatur, feralia omnia secum, vel ipsa voce ejulante, & ipsam mortem ferens: quemadmodum hastæ Pyrrhi, cum noctu Argos ingrederetur, noctua insidens, diuque contumaciter illic morata, Regi miseram & ingloriam mortem prænunciavit. Ictu enim muliebri in urbe percussus miserem spiritum reddidit. Neque noctuam suam, sed ardeam flumine egressam, Minerva Homerica Diomedem, ad castra Trojanorum exploranda proficiscenti mittit. (i) Certe bubones & ululæ cum aliis avibus funestis, quæ nocturno tempore frequentius canunt, inter prodigiosas ac lætuosas, & pestis futuræ nuncias, passim numerantur. (k) Ac viciorum quidem certissimam significationem habet, dum tres inter infaustos bonis moribus sodales, Bacchum, Venerem & Vespertilionem quarta collocatur, tanquam noctis quædam effigies, noctis inquam, quæ facinororum

Cinorum machinatrix, scelerum occultatrix, libidinumque instigatrix est. (l) Ut gratulandum putem Cretæ Insulæ, quod tam strigofum terræ pondus in ea non nascatur, nec eo delata vitæ suæ superfit, imo, quæ Insulæ felicitas est, si modo oculis eam terram Cretatam, seu, ut nunc appellamus, Candiam, quasi candidam, delibaverit, confestim intermoriatur. (m) E contrario asperam fortem esse putem Ulubris (ab ululando) Italiæ civitati, quod istis animalculis infestis scateat, utut ipsas nativitas & educatio Augusti Cæsaris nobilitavit. Neque Demofthenem in Athenas invehentem culpem, qui eo tempore, cum e carcere elapsus, populum fugiebat, respectans subinde arcem Palladis, etiam manibus sublatis: O Pallas, inquit, urbium domina, cur tribus infaustissimis bestiis delectaris, noctua, dracone, (nam hujus figura scuto Palladis insculpta erat) & populo, cæcitatem, livorem animorum, & inconstantiam forte intelligens. (n) Ovis ergo animal tam infaustum, tam sinistri ominis, tam tædum acturpe semper virgini Dearum cum Diana & Vesta, (o) coli denique, tibix, musicæ, olæ inventrici tribueret? Non eo inficias, mihi talia reputanti, longe diversa a vulgari opinione in mentem venisse. Modo enim cogitabam hæc mecum: Forfitan Majores Minervæ non togatæ, sed sagatæ, adeoque armatæ Palladi, non vero Minervæ Musarum alumna dederunt ululam. Nam in bello, fuso tot hominum sanguine, sæviente victoria, passim ululatus, i. e. ejulatus mulierum, clamores virorum, & miserabilis undiqve gemitus & luctus cujuscunque sexus, cujuscunque ætatis, audiuntur. Congruit ergo ulula Deæ cædis & vocibus cædendorum. Modo illam inventionem non consilio, sed casu attribuebam, ratus, Minervam Athenarum urbem sorte quadam acceptam, pariterque cum ea avem ibi frequentem, retinuisse: vel potius ob amorem loci noctuam repudiare non potuisse. Modo hæc versabam animo, Deam cæco impetu & temeraria quadam charitate abreptam, adamasse bestiam luci inimicam: ut sapius amari solent ea, quæ odio potius digna videbantur: siquidem non rarum est, ranam pro Diana, cervam pro Minerva in delitiis esse. Etiam istud incidebat, num fortassis joci causa id factum fiet, & ingenii quodam lusu: quo argute ostenderetur, vel sub pallio sordido sæpe magnam latere sapientiam; vel eam eruditiss nonnullis fortem obstringere, ut strigibus, ululis, & nescio quibus porrentis æquiparentur: Vel sapientiæ deditos quosdam, intra musea sua latitantes, lucem sæpe & congressus civiles subterfugere. Vicit tamen apud me tandem communis sententia, quæ firmiter antiquitus traditum tenet, consulto noctuam Minervæ associari. Vanus autem sim, si avem toties nominatam novem sonare vocibus asseram, quasi novem Musarum concertum una ederet. (p) Aut totius orbis linguas (ex Ebræo Heli) aut quandam cum homine cognitionem, explanctu fletuque, eidem vendicem. Nec oculos glaucos Deæ & avis (unde utraque Glaucois) cirabo: cum ex oculorum colore ad probandum ingenii præstantiam afferri nulla certa ratio possit: nisi quod cæcis oculis præditos quidam conjiciant, plus ingenio, atque acumine valere, quam cæteros. Sunt enim umbracula quædam virtutum in ave hæc, noctis amante, quarum sane ne ipsa quidem Jovis gnatam pudere debeat, Taciturnitatis, Sobrietatis, Vigilantia, Sagacitatis, Sapientiæ. Taciturnitatem pictura verus comprobat, qua expressas Alexandri M. Hephæstionis & ululæ imagines videmus: alterum latus Alexander, alterum Hephæstio, princeps minister illius, occupat. Sed Rex ori hujus in fide silentii sigillum suum imprimit, quasi teste ulula, quæ locum medium ambos inter ortita est. Literæ adscriptæ S. T. notæ vetustæ silentii, S. jubet, ut sileas; T. jubet, ut Taceas. Hoc illud est, quod aliquando plitaci duo, cum ulula una divenditi dicuntur eodem pretio: nam ulula tantum scire fidelique silentio tegere credebatur, quantum illi garruli loquerentur. (q) Sobrietatem illæsa novem dierum abstinencia fatis liquide, ut arbitror, confirmat. (r) Quam temperantiam avis ipsi etiam Athenienses imitati sunt, quibus dicere quidem in promptu erat, pauca vero edere, secundum Eubulum Comicum. Esuriem enim Cecropidum liberi, auram captantes, speque vescentes, facile perpetiebantur. Hæcque continentia & proverbio locum fecit, & adhuc tantam vim habet, si Philostrato credendum, ut naturam immutet humanam. Hospes quispiam videlicet poculum argenteum, forma ululina constatum, attulit secum in convivium. Mirati cæteri novitatem formæ, causæque inventi requisita, comperere, vino nihil salubrius esse, si computationi præsit ulula, seu efficta ejus forma memoriam sobrietatis & temperantiæ bibentibus quasi instillet. Ovis autem ululinis, ubi mediocriter illa coxeris, infanti que comedenda dederis, antequam is vinum degustaverit, adeo implantari odium vini, ut sobrie post id tempus in omni vitæ cursu vivat is, qui comederat. Vigilantiam noctuæ aperti inter dormiendum oculi arguunt, in quo cum leonibus, leporibus-


leporibusque ei conuenit, & hominibus noctambulis, qui de lecto surgentes se vestiunt, fores pandunt, arma corripunt, & si in navi sint, malos scandunt, per foros curstant, sentinam exhauriunt, & opera alia faciunt. Nam cum reliquæ aves tantum inferiorem palpebram moveant, oculosque non, nisi per eam, claudant, hæc contra superiorem, a summo oculi ad inum adducens connivet, neque oculos bene clausos possidet. Huc Boifardus respicit, Minervæ depictæ clypeum, cristas & noctuam adjuvans, ut præmia designaret Musarum; idque ex lemmate conjicere licet: Studio & vigilantia. (f) Huc inventores Altorffiniacem ingenii direxerunt, quando ululam coronæ insidentem & in ea frenum exhibentes, interpretationem hanc addidere: Vigilias & moderatione; significaturi eo invento, etiam manu nocturna, non sola diurna, verifandas esse chartas Socraticas, exemplo priscorum, qui ad accensas candelas multa elucubrabant, sic ut bene elaborata ad lucernam Cleanthis & Aristophanis facta; Demofthenis Enthememata lucernam olere dicerentur. (t) Porro de sagacitate ululantis avis nemo dubitabit, qui eas, quibus utitur, vias & vestigia cautiis contemplatur. Nam Alpium juga studiose formidat, ob cibi inopiam, nivium copiam, frigusque, quo ea loca horrescunt, immensum, corpore quippe exigua, & propterea frigido aëri obnoxia. Hinc Typographeum Chovetianum apud Geneveses, ululam sibi elegit, in artis suæ præconium, epigrammate scripto: In nocte consilium. Vidit nempe Aurora verustam fabellam in laudem ejusdem volatilis, in qua noctua rhombum tenens, & fila ducens net, more fœminarum. Adstat aliquis, altera candelam comprehendens manu, altera murenti ostentans, simulque eadem opera, capite inclinato, rhythmis Westphalicis eam salutat, Altera jacenti eadem Palladis sociâ insistit, quæ vas Athenienses in calculis suffragiorum colligendis usurpabant, itidem solertia ingeniorum Noricorum, quorum mentem adscriptio docet: Prudentia constant. (u) Coturnicibus, trans mare volantibus, ducem se præbet, ea utens calliditate; lapillos unguibus apprehendit in turbine ventorum, aut ubi Aufter adverso flatu agmen inhibere cœpit: vel certe guttur, ne tempeftati succumbat, arenis replet. Quodque potissimum hic spectandum est; futuram tempeftatem præfagit: uti nuper admodum circa extremam Februarii partem sequentis Martii nives & glaciem ante ululando denunciabat. Et fenestris ægrotantium advolans, mortis imminens augurium velut quoddam ferte creditur. Quin ulula in oratione funebri sapientiam (id enim ululum erat in noctua collaudanda, quantum magis Poëtarum quam Philosophorum more); interprete Givm. Canterio, lingua Attica sic prolucuta fertur: Neminem a quoquam gravius, quam a se ipso lædi: Præstare injuriam ferre, quam inferre; Inimicitias mortales, amicitias immortales esse debere: Rerum quidem caducarum usum, perpetuarum vero mancipium esse comparandum; Neminem quicquam magis nocere, quam amorem sui: Vere miserum esse, qui suam ignoret miseriam: Ut vitam brevem; ita veræ gloriæ censum esse perpetuum: Virtutem solum ad beate vivendum sufficere: Mortis contemtionem sæpe immortalitatem efficere: Sapientem solum dei posse liberum &c. Hæc & similia, si cum ingenio & natura Minervæ contuleris, causa non erit amplius obscura, cur Minervæ dicata quondam fuerit noctua. (w) Quo nomine mirandum non est, quod Athenienses, si quando ex animi sententia rem confecta pronuntiaverint, γλαυζὴ ἐνθάδε, dixerint, i. e. Noctua volavit: quod in honorem Palladis, ejusque volucris, sua sacra noctu peregerint. (x) quod contubernio ulularum ita delectati fuerint, ut etiam numismatis aureis & argenteis hinc speciem Minervæ, illinc noctuæ habuerint insculptam: unde illud vetus: γλαυκὰς Ἀθηνᾶς, noctuas Athenas: & servus quidam Domini furtum indicaturus, multas sub tegulis cubantes noctuas, i. e. nummos detexerit: (y) Quod omnes cives aliquando permoti, continuo assenserunt Pericli, cum e superiore navis tabulato concionanti ulula ad dextram advolasset, maloque insedisset. (z) Quibus omnibus positus intelligitur, quantum sit tribuendum viris literatis, sapientibus cultoribus, quantumque honoris Musarum sedibus sit habendum, sicut Romani olim fecere, qui ex Athenis Atticis humanitatem, doctrinam, religionem, fruges, jura & leges ortas, atque in omnes terras distributas esse existimabant. (aa) Secus Turcæ barbari seculo XV. Chr. judicantur, quorum furore insano accidit, si Minerva antiqua nullam ululam sibi consecratam habuisset unnc ceterioribus seculis accepisse dominante barbarie videri poterit: quandoquidem gens illa Christianis insensibilissima deos incolas Græciæ, & in Græcia ipsius Græciæ seu Athenarum filios, tanquam ulula inauspicatissimas exterminavit extra oras patrias, & in exteras usque oras expulit. Quæ crudelitas migrationem literarum Græcarum in Italiam, inde in Galliam, inde in Germaniam, aliasque regiones effecit. (bb) Eam migrationem, in Academiam abiturus,

JOHANNES FRIEDERICUS Steindorff, Cygneus, discipulus hæctenus noster bene morigerus, recenset, cui more apud nos recepto respondebit

DANIEL DOSTIUS, Hermsdorffio-Schœnburgiacus. Nos fortunam ac Studia discendentis diviniæ clementiæ votis bonis porro commendamus! P. P. Cygneæ d. 10. April. Ao. 1712.

(a) Albricus, de Imaginibus Deorum. 8. (b) Panegyricus Doctorum 3. Mart. 1721. (c) Ecolg. 8. (d) de arte poetæ. (e) Hortus sanitatis de avibus. c. 16. (f) Plin. H. N. c. 6. lib. ult. (g) Ovid. Met. l. 2. f. 9. (h) Cicero. Offici. 2. c. 6. (i) Elian. de Animal. l. 10. c. 37. (k) Clemens Clem. de Natura pestis. p. 27. (l) Embl. Altorffii. p. 389. (m) Plin. l. c. 1. to. c. 19. (n) Pier. Hierogl. l. 20. c. 13. (o) Homer. Hymn. in Venerem. (p) Plin. l. c. 1. to. c. 17. (q) Joëlis laus ululæ. (r) Plin. l. c. (f) Emblem. 24. (t) Embl. Altorff. p. 36. (u) p. 466. (w) Conf. Luciani. Dial. Vulcani & Jovis. (x) Cic. de leg. 2. (y) Joël. l. c. (z) Plut. in Pericle. (aa) Cicero pro Flacco. (bb) Magus. Dn. D. Bœrneri Lipsiens. disputat. de migratione lit. Græcæ.

115



AD
VALEDICTIONEM
DISCIPULI NOSTRI,
 INFRA NOMINATI
 IN
AUDITORIO MAJORI,
 CRAS HORA STATA,
 HABENDAM,
VENERANDOS DNN. INSPECTO-
RES, PATRONOS, FAUTORESQUE
 ET AMICOS STUDIOSE JUVENTUTIS,
 PRÆSENTIBUS LITERIS
 OFFICIOSE AMANTERQUE
 INVITAT
M. GEORGIUS ANDREAS Simbold, R.

TYGNEAE,
 Typis JOH. DAV. FRIDERICI

